

IULIANUS TUWIM

UDC 884-1.03=734

IULIANI TUWIM „LATINITAS“ (ŁACINA)

Studes, ediscis: TERRA, TERRAE,
Ac posthaec: AMO, AMAS, AMAT
Et FERRO, TULLI, LATUM, FERRE...
Quae fatigatio! Ecce drama!

Quam magna copia coniunctionum!
Supina, saeva gerundiva!
Angeris grege exceptionum,
Et geris aegre, o pro diva!

Subito – omnia iam vero scis,
Lingua frueris iam Latina,
Et es elatus, cum cognoscis:
QUOUSQUE TANDEM, CATILINA!

Vana non erat lucubratio,
Cum vivunt, florent verba magis,
At cum Vergilio et Horatio
Denuo Romae tempus agis.

Hi monumentum exegere,
Etsi tempestas pervolabat!
„Mortua“ estne lingua vere,
quae per millenia sic durabat?

Et cum de verbis TERRA... TERRAM...
Et AMO... AMAS... recogitas,
Iam amas terram, AMAS TERRAM,
Cui te coniunxit Latinitas.